



**Quæstiones Canonicæ De Decimis**

**Friderich, Melchior**

**Ingolstadii, 17010 [i.e. 1710]**

Quæstio II. Quæ poenæ Jure Ecclesiastico statutæ sint non solventibus decimas.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61677](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-61677)

exponit S. Cyrill. vel ut Vatablus,  
eritis habitantes terram fertilis-  
simam & amoenissimam. Impleri  
etiam in Christianis hæc DEI pro-  
missa & illas minas, testatur S. Au-  
gust. hom. 48. inter 50. dicens :  
Majores nostri omnibus copijs ab-  
undabant, quia DEO decimas da-  
bant. & Cæsari censum reddebant.  
Modò autem, quia disedit devo-  
tio DEI, successit indictio fisci. No-  
luimus cum DEO partiri Decimas;  
modò autem totum tollitur. Hoc  
tollit fiscus, quod non accipit Chri-  
stus.

## QUÆSTIO II.

Quæ pœna Jure Ecclesiastico statutæ sint non  
solventibus Decimas?

## SUMMARIUM.

- 709. Excommunicandi, qui re-  
nuunt solvere decimas.
- 710. Non est ferenda excommuni-  
catio, nisi præmissa monitione,  
& accedente contumaciam.
- 711. Non tollenda, nisi securâ ple-  
nâ restituzione.
- 712. Laici eam incurruunt ipso fa-
- 713. Eto, illæ iniquè usurpando.
- 714. Et Regulares ob variæ  
circa illas delicta.
- 715. Non solventes decimas Ecclesi-  
astica sepulturâ privandus est.
- 716. Aliisque pœnis ad solventum  
compellendus.

<sup>709</sup> **A**ssert. I. Qui non solvunt de-  
cimas, ad quas tenentur, ex-  
communicari possunt ac debent.  
Patet ex dictis n. 701. & seq. Illud  
solum controversum est, an ex-  
communicatio ipso facto incurra-  
tur. Affirmant Andr. Hispanus reg.  
10. q. 2. & Rebuff. q. ult. n. 1 s. ad-  
duntque, debere hujusmodi ex-  
communicatos singulis Dominicis  
publicari à Curatis. Verum dicen-  
dum est cum communi aliorum,  
hanc excommunicationem esse so-

Kum ferendæ sententia. Ratio est:  
quia Jura cit. n. 701. allegata eam  
solum comminantur, & non asse-  
ruant esse latæ sententia, seu ipso  
Jure vel facto incurri. Neque obest,  
quod Hispan. & Rebuffus asserunt,  
detentores decimarum crimen la-  
cilegij committere. Can. In Cano-  
nibus 57. 16. q. 1. & q. 7. can. 1. Sa-  
cilegos autem ipso jure esse ex-  
communicatos. Can. Canonica 107.  
11. q. 3. & can. Omnes 5. 17. q. 4.  
Nam, qui detinent, seu non solvunt  
deci.

decimas, non sunt propriè sacrilegi, cùm nihil admant, quod Ecclesiæ jam erat, sed solum retineant, quod suum est, & illi debent. Illi autem Canones, ubi detentores Sacrilegij damnantur, loquuntur de illis, qui usurpant id, quod est Ecclesiæ jam proprium, videlicet de dispensantibus decimas præter Episcopi notitiam, & de laicis possidentibus decimas seu jus decimandi. Accedit, quod non omnes Sacrilegi ipso jure sunt excommunicati, sed solum violatores Ecclesiarum; nam de his solum loquitur cit. Can. 107, & cit. Can. 5. anathema fertur solum in raptiores Ecclesiæ & facultatum ejus alienatores, in illos videlicet, qui Ecclesiæ afferunt, quod ipsa jam habet: hoc autem non faciunt, qui decimas non solvunt, cùm Ecclesia ante separationem partis decimæ à reliquis fructibus nullum jus in re habeat, ut dixi n. 626, & seqq. Pariter non obstat c. 2. de Reb. Eccl. alien. in 6. quod pro se producit Andr. Hispan. l. c. quia ibi nihil habetur, quod ad rem præsentem faciat, sed solum excommunicantur laici, qui compellunt Prælatos Ecclesiæ ad concedenda ipsis laicis bona immobilia & jura Ecclesiæ. Sed neque reservata est absolutio ab hac excommunicatione, cùm nullibi tollatur jurisdictione ad absolvendum, sed solum præcipiatur Confessarijs, ne absolvant, quo usque facta sit solutio, ut bene observat Molina tr. 2. de Just. disp. 756. n. 3.

Assert. II. Excommunicatio in 710 renuentes solvere decimas ferri non debet, nisi præmissâ monitione. Patet cùm ex c. Pervenit s. b. t. & can. Omnes decima s. 16. q. 7. ubi statuitur, ut secundum Domini nostri præceptum admoncantur semel & secundò & tertio. Quis non emendaverint, anathematus vinculo feriantur usque ad satisfactionem & emendationem congruam: tum ex Trident. sess. 25. c. 12. de Refor. ubi dicitur excūnicentur: quo verbo apertum est significari censuram ferendæ sententiæ, tum denique ex regula tradita à Concil. Lateran. & Innoc. III. c. Sacro 48. de Sent. Excomm. statuente, sententiam excommunicationis ferri non debere, nisi præmissâ canonica monitione competenti: competens autem est triana juxta c. Contingit 45. eod. cum aliquo etiam dierum intervallo, nisi necessitas aliud exigat, ut disponitur c. Constitutionem 9. eod. in 6. Et licet Judex in literis comminatorijs excommunicationis non conatur apponere clausulam nisi causam rationabilem possit allegare, ut post Laud. docet Card. in Clem. Dispensiosam de Judic. n. 28. debet tamen prius recipere informationem, quod is, contra quem agitur, in Parochia, quæ decimas exigit, fundum habeat, ex quo decimæ debeantur: vel monitio facienda est conditionalis, videlicet, ut, si fundum ibi habet, & nondum solve-

solverit, solvat tam præteritas quām futuras; secūs, excommunicatum iri, aut si gravatum sē sentiat, de gravamine doceat &c.

<sup>711</sup> Assert. III. Excommunicatus ob contumaciam in negandis decimis, absolvī non debet, nisi plenā restitutio securā, ut loquitur Trident. cit. *Seff. 25. c. 12. de Refor.* &, ut dicitur *cit. can. 5. 16. q. 7. usque ad satisfactionem & emendationem congruam*. Ex quo consequens est, quod antequam absolvatur, non tantū restituere debeat, quas jam debet; sed insuper promittere, se in posterum fideliter soluturum; cū ob præsentem necessitatem fieri possit præsens satisfactio absque animo solvendi in posterum. Sic autem non daretur satisfactio & emendatio congrua. Qualis autem cautio exigi debeat, pro varietate circumstantiarum Judicis est arbitrari. Cæterū absolvī debet, qui potis solvendi non est, dummodò promittat & juret se soluturum, cū potuerit, uti observant Navarr. *in Man. c. 17. n. 59.* Molin. *de Just. tr. 2. disp. 156. n. 5.* Sanch. *in Decal. lib. 2. c. 20. n. 19.* Henriq. *L. 13. c. 28. n. 1.* Bonac. *disp. ult. in 5. Praecept. Eccles. g. 5. pun. 7.* Palao *tr. 10. disp. un. pun. 14. n. 1.* ac alij. Illud verò ultrò patet, quod tradunt Gloss. *in reg. Peccatum in 6.* Navarr. *L. c. c. 20. n. 32.* Azor tom. *1. Instit. Mor.* *L. 7. c. 37. q. 9.* Fagundez *L. 1. in 5. Eccl. praeceptum 6. n. 4.* absolvendum esse, cui obli-

gatio solvendi remissa est à c. editore: quia hac ratione cessat obligatio; hac autem cessante cessat ratio excommunicationis, quæ est, ut debitor compellatur ad satisfactiōnem: nisi fortè præstare nolle solutionem in futurum.

Assert. IV. Excommunicatio-

<sup>712</sup> nem latam in Bulla Coenæ clausul.  
17. ipso facto incurruunt laici, qui exigunt, usurpant, occupant, sequestrant decimas, redditus & proventus Beneficiorum, vel ad id auxilium præstant. An incurruunt solum tunc, quando laici occupant decimas tanquam sibi debitas, an etiam, si sine hac prætentione eas invadunt, dixi suprà *n. 577.*

Assert. V. Juxta Clem. *Religiosi* <sup>713</sup>

1. h.t. excommunicationem incurruunt Religiosi non habentes Beneficium aut Administrationem. 1. Si absque justo titulo decimas aut primicias Ecclesijs debitas acceperint. 2. Si familiaribus aut pastoribus suis vel aliorum prohibuerint decimas solvere ex gregibus & rebus suis. 3. Si ipsi ex rebus emptis, & de quibus decimæ debentur, Ecclesijs non solverint. 4. Si prohibuerint aut non permiserint servis & colonis solvere decimas ex terris, quas eis colendas tradunt. Si ista fecerint Religiosi Beneficium vel Administrationem habentes, ipso jure sunt suspensi. Has tamen censuras tunc solum incurruunt, quando post monitionem ab Ecclesia, cui decimæ debentur, intra mensem non

Y y desti-

destiterint, vel intra duos menses, quæ malè usurparunt, non restituerint, ut habetur *cit. Clem. V. n. si post requisitionem.* Sufficere unam requisitionem seu monitionem, post Glossam aliosque benè inde colligit *Pellizarius tom. 2. Manual. Regul. tr. 7. c. 2 n. 187.* Non eas juxta Cajetan. Sylvest. Navarr. ac alios incurruat, quando decimæ particularibus solum personis debentur, eò quod textus loquatur solum de decimis, quæ Ecclesijs debentur. Verum hanc explicationem merito rejecit Suar. *Diss. 23. de Censur. sect. 5. n. 37.* quia decimæ propriæ sumptæ omnes debentur Ecclesiæ per se & primariò, & ipsa fructus solum decimales privatis Clericis vel laicis permittit: at per hoc, quod fructus istos ipsa non percipit, sed privata quæpiam persona, non sit, ut decimæ ipsi non debeantur, ut idem Suar. notat. Cum ergo omnes decimæ debeantur Ecclesiæ, & à privatis solum nomine ipsius percipientur, ut supra explicavi, consequens est, dictas censuras de omnibus decimis procedere.

714 Assert. VI. Juxta *Clem. Cupientes 3. §. 1. de Pœnis* ipso facto excommunicationem incurront Religiosi cujuscunque Ordinis, si in concionibus vel alias aliquid proferre præsumperint, quo audientes à decimarum Ecclesijs debitum solutione retrahantur. Ad eam tamen incurrendam, ut non  
ant Angelus & Goletus, requiritur,

eiusmodi sermonem proferri prævo animo, & in præsentia eorum, qui ad decimas solvendas sunt obligati. Èadem *Clem. §. Et quia injungitur omnibus Religiosis sub obtestatione Divini Judicij, & interminatione maledictionis æternæ, ut quoties populo prædicabunt Dominica 1. 4. & ult. Quadragesimæ, & in festis Ascens. Dom. Pentecostes, Nativit. Deiparæ, audientes expresse studeant informare (super decimis solvendis) si ab Ecclesiæ Rectoribus, vel Vicarijs, aut locare tenantibus eorundem requisiuti fuerint. Nec non & his, quorum confessiones audient, conscientiam facere, quod decimas solvere non omittant.* Additur mox, si scienter neglexerint conscientiam confitentibus facere de hujusmodi decimis solvendis, tamdiu ipso facto à prædicationis officio esse suspensos, donec conscientiam confitentibus (si commodam facultatem monendi habuerint) ficerint, excommunicationis incursum sententiam ipso facto, si prædicare præsumperint prædicta negligentiâ non purgatâ. Hæc verba, si prædicare præsumperint, intelligit Palao *cit. pun. 14. n. 2.* non de qualicunque prædicatione, sed de ea, quâ prædicator dicit, non dari obligationem solvendi. Quæ explicatio nec ab alijs affertur, nec ullum fundamentum habet, ac idcirco toleranda non est. Patet enim ex ipso textu Clementinæ, quod

Pon-

Pontifex geminas excommunicationes tulerit, unam §. 1. quam incurrit, qui suâ prædicione fideles avertunt à solutione decimorum; alteram §. Et quia 2. quæ incurritur ob violatam censuram suspensionis à munere prædicandi: cùm enim ista suspensio violetur non tantum per illam prædictationem, quâ populus avertitur à solvendis decimis, sed per quamcumque aliam, idecirco absolute & absque distinctione dicit Pontifex, incurri excommunicationem ab eo, qui in illa suspensione prædicare presumperit. Cæterum additPontifex in fine, se nolle ista extendi ad Religiosos Monasteriorum vel Reatores Ecclesiistarum, decimas percipientium. Universim nunc cessare mandatum de prædicanda & suadenda decimarum solutione videatur Wagnereckio in *Exegeſi cit. Clem.* Rationem dat: quia his temporibus in hoc nihil difficultatis Religiosi faciunt. Verum hinc solum sequitur, quod recensitas poenas non incurrant, quia mandatum observant, non vero, quod mandatum non amplius obliget & incursum poenas non essent, si illud non observarent: cùm constet, non propterea cessare legem, quod cessarint transgressiones.

715 Affert. VII. Qui tenetur solvere decimas, & non solvit, sepulturâ Ecclesiasticâ privandus est. c. *Prohibemus* 19. b. 1. & ibi *Glossa*, Pa-

norm. ac alij. Textus quidem apertere solum loquitur de ijs, qui decimas à laicis male detentas ab ijsdem accipiunt, & Ecclesiæ non redundunt; sed à Rebuffo q. ult. n. 16. Andr. Hispano q. 2. n. 8. *Moneta* c. 8. n. 74. *Barbosa de Offic. Paroch.* c. 26. n. 50. & c. 28. §. 4. n. 19. aliisque apud hos citatis intelligitur de omnibus, qui eas detinent, seu non solvunt. Ratio extendendi est; quia eas detinent cum animarum suarum periculo; quæ ratio ibi affertur privationis sepulturæ sacræ. Accedit, quod notoriè delinquunt, ut notant DD. in *Clem. Diffendioſam de Fudic.* qui autem in notorio & publico peccato decedit, privandus est sepulturâ sacrâ, ut *Glossa* & DD. communiter tradunt in can. 19. & 21. 13. q. 2. Ait Hyacinth. *Donatus in Praxi Regul.* tom. 3. tr. 9. q. 38. n. 2. ob decimas non solutas non posse à Parocho corpus inhumatum relinquī, cùm hoc sit injustum, si non etiam barbarum, cùm mors omnia solvat, & præcipue omnem obligationem debiti. Verum & assertio ( si loquatur etiam de illo, qui ex malitia decimas negat) & ratio falsa est. Sic enim etiam usurarius sacra humo mandandus foret, quod tamen falsum esse constat ex c. *Quia 3. de Usur.* & c. *Quamquam* 2. eod. in 6. si fuit notorius & restitutionem ante mortem non fecit, vel cautionem idoneam de restituendo non dedit. De-

Y y 2 cisiq

eisio S. Congregationis , quam pro se producit , ad rem non facit : illâ enim solum continebatur , ob jus sepulturæ non solutum negari sepulturam non posse . Quod utique verissimum est : cur enim miser defunctus luat , si jus illud ob paupertatem solvi non potest , aut ab avaro hærede non solvitur ? at inhumatum non est , sed æquissimum , non sepeliri ab Ecclesia , qui notorius ejus contemptor decessit . Illud duntaxat sequitur , & facile conceditur arg. cit. c. 2. de Usur. in 6. sepeliendum esse , si restituere decadens voluit , ac non potuit , & saltē cautio præstata fuerit , si præstari potuit .

**716** Assert. VIII. Qui renuunt decimas solvere , non tantum excommunicatione & privatione sacræ sepulturæ , sed alijs quoque poenis compelli & puniri possunt . Assertio manifesta est cum ex eo , quod conveniri possunt etiam coram Judice seculari , ut patet ex dictis n. 704. hic autem poenas Ecclesiasticas non infligit : tum ex eo , quod contra illum , qui dictas poenas Ecclesiæ contemnit , alia remedia debent

competere : tum denique , quod censura est poena solum medicinalis , & non infertur , aut si illata est , tollitur , quando delinquens à malitia destitit ; illa vero altera non nisi post mortem locum habet ; & sic præcedens contumacia sèpe maneret impunita , nec satis consultum foret decimatori , si alijs compellendi & plectandi modis locus non foret . Quinam autem adhibendi sint , nullo jure expressum , & sic Judicis arbitrio relictum est . Illud extra controversiam est , posse malitiam debitoris esse tantam , ut etiam criminaliter puniri queat : quia ex omni actione dolosa in re magni momenti oritur criminalis persecutio , quæ à Judice etiam ex officio suppleri potest . Raro tamen ad severiores processus devenit ; partim quia sèpe de non magna quantitate agitur ; partim quia Parochi aliquique decimatores Ecclesiastici mitius agunt , solliciti de suo jure consequendo , non de puniendis turbatoribus ; seculares vero decimatores ipso plerumque suæ potentiarum metu debitores ad officium compellunt .

Ad Majorem DEI Gloriam .

